



Diversi Tractatvs

Coloniae Agrippinae, 1629

Dispvatio I. Quæ potestate, aut cuius auxilio nisi magi efficiant ea mirabilia, quæ hominum excedunt, aut videntur excedere potestatem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61359)

ete: debent ergo molestati, hinc tenebras fugere, ad lucem frui. Sunt tamen aliqui adeo feri ac audaces spiritus, ut nec vereantur multitudinem, nec templa reformident, & in luce meridiana sunt molesti: ac proinde Deo suppliciter orandum, ut nos eripiat

Psal. 90. à sagitta volante in die. à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & damno meridiano.

TRACTATUS II.

De Potestate Dæmonum & Magorum ad effectus mirabiles & prodigiosos.

DISPUTATIO I.

Qua potestate, aut cuius auxilio nisi magi efficiant ea mirabilia, quæ hominum excedunt, aut videntur excedere potestatem?

ET videtur id proficisci ex naturali quorundam hominum complexionem. De Psylis, qui habitant Lydiæ & de Marsis in Italia, narrat Plinius

Plinius. August.

l. 7. c. 2. serpentes sine noxa atrectare, & odore saporare: & D. August. l. 14. de Ciuit. c. 2. narrat mira quædam opera quorundam hominum, quæ non nisi à naturali eorum complexionem dimanare poterant. Et Albertus Magnus in l. de morib. animal. (ait) se vidisse in Germania duos pueros fratres, quorum altero iuxta domorum ostia incedente, omnia ostia versus latus illius sinistrum aperiebantur, quamuis clausa essent; idemque contingebat alteri puero illius fratri, versus latus eius dextrum. Et dicit id

Albertus

vidisse multos, negatque id referri posse in aliud, quam in proprietatem occultam, quæ utriusque eorum à colorum influxu indita est.

Prima assertio sit. Multos effectus admirandos, ac insolitos efficiunt quandoque homines, virtute agentium naturalium ad operandum applicatorum, aut vero virtute, & præstantia in artificialibus fabricandis, quorum causas, cum vix pauci penetrant, admirationem parit eorum effectio, & interdum suspicionem auxiliij dæmoniaci implorati. *Probaturs prima pars,* quia in rebus naturalibus, sunt proprietates admirabiles occultæ ad efficiendum mirabiles effectus, interdum simplici applicatione, interdum diuersarum rerum admixtione, & alijs modis: ergo homines hæc callentes, & his vtentes, mirabiles citra dubium efficiunt effectus. *Antecedens ostenditur aliquibus mirandis naturæ proprietatibus allatis.*

Ad hoc propositum D. August. *August. lib. 21. de Ciuitate cap. 4. 5. & 6. adducit multa de pavonum carne non putrescente, de paleis niues conseruantibus, & vice versa fructus maturantibus, de calce, quæ cum ignitam in se vim habeat, aquarum infusione non olei accenditur, de agrigentino sale, qui liquatur igne, aqua vero induratur, & crepitat: de Epiri fonte, & magnete, & similibus. Item Opianus *Opianus lib. 3. Cyneg. scribit sonum tympani ex Lupina pelle, aliud tympanum ex Agoina tensum, dirumpere. Et mul-**

ti, iac-

ti, inter quos Tertullianus lib. 3. cap. ult. de penitentia, & Hieronymus in Ecdesiastem, dixerunt dyctamo es ceruos sagittas expellere, & Chelidonia hirundines suis pullis visum restituere. De Pysyllis & Marfis serpentes contra canibus, & lacestentibus sine noxa, & odore soporantibus, tradit Plinius l. 7. c. 2. & idem de Pici Martij herba, obturamenta nidorum explodente, narrat idem lib. 10. c. 18. imo & seras ferreas aperite vulgo dicitur. Et de Remora pisciculo semipedali, detinente naus ingentis imperum, idem Plinius l. 32. c. 11. & Arist. l. 2. de hist. animal. c. 14. & c. 6. Tobia de felle piscis Callyonimi, valere ad expellendam albuginem oculorum Denique innumeros possemus referre effectus mirabiles, & insolitos vi, ac proprietate rerum naturalium editos. Vide, si placet, Sirenium l. 9. de fato, Fracastorium l. de sympathia & antipathia, Ioannem Langum epist. 33. Certè si in naturalibus rebus, tot mirabiles, & paucis notæ proprietates inueniuntur, cur earum rerum usu homines edocti, siue à bono siue à malo genio, siue experientia ductrice, mirabiles effectus non patrabunt.

Idem iudicium sumito, de effectibus quibusdam artificiatibus, quæ in admirationem rapuerunt videntes, existimantes non posse in tantum fastigium artem peruenire: cum tamen totorum eorum effectuum mirabile artificium, principijs Geometricis, Arithmeticis, vel Astronomicis ni-

teretur. Horum effectuum exempla sint, Sphæra illa Archimedis apud Claudianum De qua Cicero l. 9. Tuscul. & 2. l. de natura Deorum, dicit omnium cælestium conuersiones suis motibus clarissime, & perfectissime repræsentare: cuius sphæra aliquale specimen dicitur exhibuisse Italû artificem, nomine Ianelum. Et de eodè Archimede refert Plutar. in Marcello, in Syracusarû obsidione per specula naues cõbussisse, & tot machinas adinuenisse, vt dicerent Romani se nõ cõtra homines, sed cõtra Deos pugnare. Item in admiratione rapuit Græcos quædam columba lignea volas fabricata ab Archira. Ita Gellius l. 10. noctium. Non fuere dissimilia Leonis Imperatoris auiculæ aureæ cantâtes. Ita Glicas in annalib. Et Boerhij æreæ volantes, & cantilantes, ac serpentes ænei sibillantes. Ita Politianus in nepistemone. De B. Isidoro refertur miro artificio fabricasse duas lucernas, quarum vnâ iussit apponi ad caput sui sepulchri, alterâ circa pedes, quæ nunquã fuere extrinsecta, aut cõsumpta per ducetos annos, & inde sublata nescio quo successu: ita maiores nostri Hispani, & Iacobus de Boragine in vita eiusd. Isidori. Et Romæ tempore Caroli Magni, in sepulchro cuiusdã Gentilis candela accensa ante Christi aduentum, quæ nec aqua, nec aere potuit extinguï, quousq; terebrato lychno aer subintravit: ita Helinandus in Chronicis, & Ioãnes Egidius Camorensis. Et alia multa his similia ab Historiographis narrantur.

secunda pars assertionis nota est : & ideo Philosophi multi antiqui, auidissime rerum occultas proprietates inquisierunt: inter quos Democritus
Plato. Pythagoras, Empedocles, Plato, *Aristot.* Aristot. *l. integro edito de admirandis auditionibus :* & ex nostris Albertus Magnus, & alij, qui Magiæ physicae, seu naturali, incubuerunt. Est autem hæc *Albertus.* Magia, ut notarunt Proclus *lib. de Magia,* & Psellus *de demonibus,* cognitio quædam arcanorum nature, qua colorum, ac syderum fluxus, & sympathijs, atque antipathijs rerum singularum obseruatis, suo tempore, loco, ac modo, rebus applicantur, & mirandi quidam effectus perficiuntur, qui causarum ignaris præstigijs, vel miraculosis videntur. Hæc scientia fuisse peritos tres Magos Euangelicos, volunt quidam; eaque imbutum fuisse Salomonem, non obscure tradit *3. Reg. 4.* sacra Scriptura, *3. Regum. 4. Et disputauit (Salomon) de lignis, à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur à pariete, & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.* Vbi notatum cum D. Hieronymo, non fieri mentionem de exorcismis, aut incantationibus. De quibus multa Iosephus *lib. 8. de antiq. cap. 2.* fortè quia ea composuit quando deditus idolatriæ, incantationibus deseruiebat.

Ex his inferitur corollarium apprimè notandum pro sequentibus, non decere virum sapientem præcipitare sententiam ut videns per quosdam fieri effectus insolitos, & mirabiles, asserat vi pacti demoniaci

fieri : potest enim contingere ; ut mediante concursu & applicatione agentium & passiuorum naturalium, aut ope artificis præstantissimi fiant. Fateor has duas magias: artificialem, & naturalem, secundum se laudabiles, assumi sæpe ut duo velamina, quibus magia diabolica occultari solet: quia magi sola rerum naturalium aut artificialium efficacitate, non valentes consequi optatos effectus, ad dæmonum auxilia imploranda recurrunt.

Non dissimiliter fecere quidam scriptores moderni, nomine sonantes Christum, reipsa superstitiosi magi, qui in suis operibus auspicantes à magia naturalis documentis, ad diabolicam, & vana, prolapsi sunt, & ideo eorum libros prohibuit Ecclesia, inter quos nomino Anselmum Parmensem, Cicchum Esculanum, Petrum de Abono, Cornelium Agrippam, ac Paracellum, Hæreticos: ad quos ferme declinant Cardanus de subtilitate, & varietate, & Ioannes Baptista à Porta in suo libello de magia, qui & alij multi Germaniæ, ubi officium defensionis fidei non viger, libere à magia naturali ad dæmoniacam in multis dilabuntur.

Ex hac assertionem, & corollariò, respondetur ad argumenta in principio posita; Psyllos, & Marfos habere proprietatem quandam, & qualitatem exitialem serpentibus. Similiter, & alij homines (de quibus August.) habebant quosdam individuales conditiones, ratione quarum illas

illas inusitatas operationes efficiant. Quod nos non negamus, sed potius asserimus: sed dubitatio est de omni operatione mirabili magorum. De quo

Secunda assertio sit. Multos effectus mirabiles ac insolitos efficiunt magi, qui nequaquam reduci possunt ad virtutem operatricem causarum naturalium, aut artificialium. Huiusmodi ferè sunt omnia quæ narrantur de Simone, & Apollonio famosis magis. Huiusmodi etiam sunt prædicere occulta, aut futura, thesaurosq; absconditos reuelare, facere statuas loqui, & similia, quæ ex vna parte superant humanas vires, ex alia causarum naturalium efficacitatem, eo quod necessariò ab operante per intellectum procedere debent. Hanc assertionem acutè satis & copiose probat D. Thom. 3. contra gentes capite 104. Sed nunquid ad genios malos hi effectus reducendi sunt?

D. Thom.

DISPUTATIO II.

An magorum opera miranda ad dæmones reducenda sint

ET videtur non omnia magorum miranda opera esse reducenda ad dæmonum efficaciam patrocinantium magis. Primum ex Avicenna dicente: Si homo esset secundum intellectum bene dispositus, & supra materiam eleuatus, res cuncta materiales, cælestes, & terrena simplices, ac mixte, obedirent ei ad nutum: ac proinde nil mirabile eius excederet facultatem. Non longè absunt ab hac sententia, Fulginas, & alij medici, confingentes quoddam temperamentum æquali-

Avicen.

Fulginas.

tatis, & humorum, & qualitarum actiuarum ad pondus mixtione, quo temperamento, qui sit præditus, posse miracula efficere asseuerant.

Secundo. Deus hominibus sceleratis largitur gratias gratis datas: vt opera, quæ vires humanas, imò & angelicas excedunt, operentur diuina virtute adiuti: de quo latè superius egi circa articulum secundum questionis nonagesimæ, & palam fit in gratia sanitarum, ac dono linguarum: ergo de magis operantibus mirifica non est inconueniens asserere.

Dicit quis Gratijs gratis datas à Deo qui accipit, non vitur in malum finem: at isti magi operibus mirandis in malos fines vitur, nempe ad maleficiandos homines, ad occulta prodendum, ad decipiendum. *Contra,* quia hoc per accidens est gratiarum datarum gratis receptioni: quibus prauis homines aliquando prauè vitur, sicut accidit Claudie virgini Vestali, quam Dei virtute adiutam fatetur S. Thomas questione 6. de potentia art. 5. ad 5. aquam in vase perforato à Tiberi portasse sine effusione; & tamen in honorem Deæ Vestæ id hæc foemina fecit, cui suam virginitatem sacrauerat.

D. Thom.

Tertio. Hæc opera miranda possunt referri in patrociniam honorum Angelorum, ergo in eos potius quàm in dæmones referenda sunt, maximè quæ per ea opera aliquod beneficiu præstatur: verbi gratia sanitas præter communem cursum naturæ, dissoluere maleficia, reuelare thesauros in visce-

Bb 3 ribus